

VB  
230

Non licet vivas audire et te dare vocari  
Nec CHR. Q. D. R. H. mibi rectus in copia

Invenies legum deum  
Dignetur quondam deo tibi dante

Angelus Dei. Nam post hoc tempus  
Gardiam. Vinea dicitur: uteris vero


Idibus Augustis: Nam in ore  
Saxa Dei: quo tunc spiritus sanctus dicitur

Plura dicitur. Veneruntque abbas in  
Abba: factus est tunc in hac ecclesia  
Cum vult factum tunc in hac ecclesia

Vas spirituum sancti: Dei vox dicitur in eum  
Jungens manus dicitur: spiritus sanctus in

Cum tunc in se ipsum domus de schola filii re  
cepit

Gratia Christi tibi, quod nos per mille vitium  
Cibus per se in contagia tibi dicitur  
Incolores reddis: fac ut tibi gratia per  
Ad hunc: hinc per idem tibi carnis hunc  
Dedico, quod tibi me tere juvencis



7.

**B**OHUSLAI  
Bohemi,  
BARONIS de HASSENSTEIN,  
**CARMEN**

SUMMOS CHRISTIANI ORBIS  
PRINCIPES

excitans


ad bellum

**CONTRA TURCAS**

gerendum,

recusum Lipsiæ, publiceque illu-  
stratum.

L. J. F. P. P. P.  
à



Stanno WITTIGAVIANO,

Anno MDCCLXXXIX.



**B**arbara gens urget populum, quem fonte salubri  
Abluit unda, potens delere piacula mentis  
Omnia pollutæ; jam pleni milite campi,  
Jam pedites equitesque ruunt: tumidumque pro-  
fundum

- Innumeris fervet ratibus: vix sustinet hostem  
Religio jam sacra ferum: Petræa fatiscit  
Cimba, nec immensæ pelagi jam sufficit iræ.  
Quid facis in tanto discrimine, maxime Regum?  
Cur non bella paras, pubemque hortaris ad arma  
10 Germanam, bello gaudentem & fortibus actis?  
Scilicet ut capreas per montis devia captes,  
Accipiterque tuus prædam circumvolet uncis  
Ungvibus aeriam, patrius vastabitur Hister,  
Dalmaticique lares, & Japidis arva Timavi,  
Te memorant Celtas, & regis tela superbi,  
Et conjuratos Morinis fregisse Batavos  
Sub juga cæruleum crines misisse Sicambrium.  
Quo vigor hic abiit? nostro ne in sanguine fortis  
20 Fundendo externos faciem submittis ad enses?  
Mille tibi populi parent; tua castra sequuntur  
Mille duces: sive bello; cur cornua cessant  
Victricesque tubæ, litui; cur classica fundunt  
Nulla? tuas cur non Aquilas Byzantium hostis  
Horret, & ereptam cur non se Græcia gaudet  
Servitio? gentesque Hæmi Rhodopæque, nivosa  
Ruraque Pieriis ipsi contermina cælo  
Carminibus? Quid tu, Galle, qui tecta Viennæ  
Spumofumque domas Ararim, quem clarus honorat  
Insuber, & populi Ligurum, gentilia quare  
30 Prælia nunc refugis? paterisque instare tyrannum  
Christicolum, laribus gladium per nostra vagari  
Pectora barbaricum: num jam tua lilia marcent,  
Et satis es Capuæ Bajis viridique Vesevo

At-



salubri  
is  
que pro

p

s

æ

rat

m

Ac-

Atque Phalantéo bellum intentare Tarento.  
Tu quoque Rex, cujus magnas Tartesia tellus  
Admiratur opes: quo principe nuper habenas  
Excussit Betis Libycas; educis in arma  
Cur non occiduas gentes, Sicorimque Tagumque  
Herculeum? cur non quamprimum trajicis æquor  
Classibus? & subigis Numidas, legesque Tuneto.  
Imponis, sacræque crucis mysteria pandis  
Æthiopum populis, & qua Garamantes & Indi  
Extremas habitant oras, divisaque mundo est  
Taprobane; si verus honor, si gloria cordi  
Est tibi, si veræ flagras virtutis amore,  
Fer precor auxilium fidei, gladiosque minaces  
In stirpem converte Arabum, quam perfidus olim  
Traxit ab Ecclesiæ gremio, variisque tenebris  
Implevit scelerum Mahometes; concute pectus  
Consiliis gravidum castis, ensesque retunde  
Eoos, Scythicique ducis confringe secures;  
Tuque Caledonii nemoris, vergentis in Arcton  
Et moderator agri, cui servit frigida Tile,  
Atque, Lycaonius cui pronò lumine custos  
Imminet, & Grajis Helice observata carinis,  
Circumda Europam ratibus, patrumque fecutus.  
Gesta, cruentatum divino sanguine collem  
Eripe Niliaco Regi, Lageaque tecta,  
Quaque Palæstini tractus & dives Idume  
Palmetis, qua docta Tyros miscere veneno  
Vellera gentili, submersa & mœnia Gazæ  
Castra loca, gentesque nigra in caligine mersas  
Petréo conjunge gregi, lumenque per omne  
Sparge solum fidei. Syrius cognoscat Orontes  
Te duce Romanæ latebras & mystica legis,  
Humani generis dignissime rector, ovilis  
Æterni qui claudis iter, quod sidera confert  
Et referas, superæ qui verus janitor aulæ  
Credere à populis, latum circumspice, cingit  
Quem pater oceanus vitreis torrentibus, orbem,  
Sive quidem calidam mentem convertis in Austrum.

40

50

60

70

( 3 )

Sive



Sive ortus spectas tepidum, quæ dividit æquor  
 Multifidus Ganges, Ripheos sive Triones,  
 Et gelidum Tanaim, Nabathæos cuncta sequuntur  
 Errores. At tu si fas est dicere, præsul  
 Optime: Komana lætus requiescis in arce  
 Et digitis aurum veritas, & multa modesto  
 Dissimulanda facis, justusque abscondere ferrum,  
 Decernis ferro, turbarique omnia sævo  
 80 Marte finis; taceo cælum venale Deumque  
 Et Dominos veteres pullos, ingensque pudenda  
 Imperium sobolis; sed non sic itur ad astra;  
 Non jubet hæc cœli frenator; Martia certe  
 Si tibi bella placent, Turcarum invade catervas,  
 A caulisque lupos arce torvosque Leones.  
 Commissarum ovium miseris qui dura minantur  
 Christicolis, optantque tuam convertere Romam,  
 Et Capitolinis immittere sedibus ignes;  
 90 Magnus es, at major lati dominator olympi,  
 Qui scelere rectisque simul dat præmia factis,  
 Intima qui cordis penetrat secreta, cubilis  
 Nescit, & aurata tectos lodice cinædos,  
 Pandentesque femur tanta mercede puellas,  
 His ut divitiis Ephyraei gloria scorti  
 Cesserit, & Rhodopes, ac Floræ in templa receptæ  
 Romulidum, cuius pastor nisi maxime pares  
 Edictis, veniet subito poscetque talenti  
 Usuram, tenebris mergique jubebit averni.  
 Quid te Sauromatum ductor, veneranda parentis  
 100 Progenies memorem? sub cuius Vistula degit  
 Legibus, & pigro regio subjecta Booti,  
 Astrictumque æquor glacie, fluviique rigentes,  
 Diverso premeris bello; te Thracia tellus  
 Colchorumque petit, Phasis duplicesque pharetræ,  
 Et tua collucent hostili mœnia flamma;  
 Dilacerantur opes, quatit altos machina muros,  
 Infelix rapitur vulgus juvenesque, senesque,  
 Et mixtæ maribus tolerant infanda puellæ,  
 Cum stabulis pereunt armenta; habitata virisque

Rura tenent urfi: sterilis fortassis & olim 110  
 Terra cadaveribus nostris sit pingvis. Amaras  
 Prætereo matrum lacrymas, pavidæque sororis  
 Insolitos fletus, & questum conjugis orbæ:  
 Hæc si spectamus, pietas & pectora nostra  
 Nulla movet? non nos proavo dignissima proles,  
 Non Cazimirus genuit, sed belua Lernæ  
 Caucaesæ, & Tigres admorunt ubera; ferro  
 Cingere quin potius delectisqve undiqve turnis  
 In rabidas consurge feras, populumqve reliquit  
 Quem fortuna tibi, properantibus eripe fatis, 120  
 Eripe venturæ cladi, vitæque decoram  
 Non dubita turpi mortem præponere; quo nunc  
 Provehor, extremis ante te Rex clare manentem  
 Finibus Europæ aggredior? qui littora lati  
 Perlustras mundi, canumqve inqviris Atlanta  
 Navibus, & fontes oclusos hæctenus annis  
 Ithaci, gentesqve vagas, & monstra: nec ipsis  
 Nota fatis Libyæ cultoribus, antraque torvæ  
 Gorgonis, & quicquid terræ declinat in axem  
 Devexum; Sed quid vigilem novisse Draconem 130  
 Hesperidum prædest? nostroqve incognita mundo  
 Sidera. Arenivago nec forsan visa Cæoni?  
 Et quæcunqve jacent zonæ vicina perusæ  
 Hostis ab Armeniæ populis, & gurgite Medo  
 Cum veniat, Calabrosqve premit Siculumqve Pelorum  
 Et trepidet Sardous ager, pelagusqve cruore  
 Romano Tyrioqve rubens; an scilicet ignis  
 Quod procul est, paries nec dum tibi proximus ardet,  
 Scrutari peregrina libet, vulpesqve marinas  
 Quærere; & æqvoream Thetidem, placidæqve quieti 140  
 Et genio indulgere domi; sic Græcia certe,  
 Sic Pelopis periere urbes: incendia vires  
 Dum capiunt, serpitqve lues crescensqve venenum  
 Spernitur. O quanto melius proscindere fluctus  
 Effet Phryxeos; celeriqve obistere regis  
 Classe sagittiferi gladiis inimicaqve flammis  
 Urere tecta tuis Asiæqve a Marte vacante

Hesperias inferre faces oppresaque vinclis  
 Corpora barbaricis, maternis reddere tectis.  
 50 Sed nunc sermo mihi tecum est, urbs æmula Regum  
 Imperio, domitrix pelagi, cui Gnosia tellus,  
 Et lasciva Cypros paret, regnataque quondam  
 Alcino Corcyra seni, cui Dalmata servit,  
 Et gentes Enetum mediis elapsus Achivis,  
 Quas olim Antenor deduxit in intima ponti  
 Adriaci. Veteres animos nunc sume, Canopus  
 Quos dudum & Syriæ populi Genuæque potentis  
 Horrebant proceres, miserumque ulciscere casum  
 Chalcidis Eubeicæ, Naupactæasque ruinas  
 160 Cladibus, & variis non concessura Sagunto  
 Mœnia; cur laceras differs tirone cohortes  
 Explere in classem? quercus nigræque cupressi  
 Cur non procumbunt? hostem belloque togaque  
 Expertum quare pateris diffundere virus?  
 Regna Liburnorum populari, instare sibi que  
 Spondere Italiæ sceptrum? deprome latentes  
 Thesauros, deprome aurum, tantique putetur  
 Libertatis amor; quid enim per saxa, per ignes  
 170 Divitias cumulare juvat? lustrare profundi  
 Abdita? & undisonam velis transcendere Calpen,  
 Et pipere & palmis, & Serum vellere & Indis  
 Mercibus? & pictis naves onerare tapetis?  
 Pro foribus si castra tuis impune vagantur  
 Barbara: si toto convectæ oriente columnæ,  
 Auratæque trabes & templa minacia cælo,  
 Lucraque tot curis, tanto & quæsitâ labore  
 Infandi fortasè ducis, sunt præda futura.  
 Denique si Venetum multos dominata per annos  
 180 Urbs subitura jugum est: procul hoc avertite divi  
 Omen; & in tenues abeant præsagia ventos  
 Nostra! tuum restat numen regumque ducumque  
 Optime: quemque sua solum pateretur in urbe  
 Cecropius regnare Plato, cui colla Catones  
 Curvasent, cujusque horreret sanguine Brutus  
 Tarpeios maculare focos, septemplex Histri

Re-

Red  
 Qua  
 Nig  
 Cor  
 Et S  
 Iliu  
 Mæa  
 Atq  
 Qua  
 Et ju  
 Spira  
 Ter v  
 Pupp  
 Et tu  
 Et M  
 Æqv  
 In Tr  
 Tend  
 Gen  
 Puffa  
 Tela  
 Rhen  
 Et sce  
 Millia  
 Falce  
 Huma  
 Tanta  
 Cæfor  
 Capti  
 Ira ju  
 Ærum  
 In pec  
 In te r  
 In te t  
 Te pop  
 Hæc st  
 Te pas  
 Inclyt



Re-  
Rector; & Albigenæ populi tandem excute somnos,  
Quantaque nos maneant discrimina respice, sumis  
Ni gladios, & bella cies, gentisque superbæ  
Compescis rabiem. Phrygios jam possidet agros  
Et Simoentis aqvas, & prisco nobile casu  
Ilium, & obliquo sinuantem flumine campos  
Mæandrum, Ciliciasque vagos populosque Caystri,  
Atque Propontiacas spectantem Ciricon undas,  
Quaque fretum sulcat, flavis Pactolus arenis  
Et juga candentis tauri, flammisque Chimæram  
Spirantem: & quicquid Regi Pompejus ademit  
Ter victo, Grajas etiam transgressus in oras  
Puppibus, invasit diri Polymnestoris arces  
Et tumulum Polidore tuum, fortesque Tryballos  
Et Macetam gemini, quos Regis gloria cælo  
Æqvavit, fines: armarat quicquid Atrides  
In Trojam: quicquid gelida à Mœotide mundi  
Tenditur, Epirum versus, jam claustra Latinæ  
Gentis: & Ausonias Mahometica lancea portas  
Puffat: & Alpinas penetrant jam barbara fauces  
Tela, nec Arctous tanti discriminis expers  
Rhenus aqvas pelago miscet: quid proxima dicam  
Et sceptris subjecta tuis: qua nuper arabant  
Millia multa hominum terram, Bacchiqve feraces  
Falce putabantur colles: vestigia cultus  
Humani vix ulla patent: periêre ruinæ  
Tantarum & domuum: nullos fortuna reliquit,  
Cæforum deflere hominum qui funera possent.  
Captivasque nurus & quæ victoris iniqvi  
Ira jubet turpisque Venus, succurre tuorum  
Ærumnis ensesque pios mollire cruentam  
In pecudem: jaciunt in te sua lumina gentes:  
In te relliquiæ hostiles miserabile vulgus,  
In te tota cohors Christi inclinata recumbit:  
Te populus bello non dedignandus Amyclis,  
Hæc studio & Musis doctis spernendus Athenis,  
Te pastor Latius, te rubro turba galero,  
Inclyta te Rhodanus regesque sequuntur Hiberi

190

200

210

220

Nec

Nec Germana tibi conanti pulchra Juventus  
 Nec fratris deerit pietas: commune periculum  
 Quem tibi conjungit virtus materque paterque  
 Et regalis apex, lingvæ & commercia dura,  
 Quin etiam, si qui procerum cervice tenentem  
 230 Arma observabunt studiosius, oraque claudes,  
 Omnibus, & dubiæ cessabunt murmura plebis,  
 Et tanti motus animorum stulta cupido  
 Quos mutandi agitat præsentia: principe tandem  
 Ni dignam assumis mentem: nec pacis inani  
 Spe capiare precor, vires formidat & arma  
 Regis Achæmenii: Parthosque in terga ruentes  
 Assyriasque cupit primum sibi jungere Carras  
 Frædere; quo demum belli securus Eoi  
 Tutius in nostros erumpat perfidus agros,  
 240 Interea solitis ludit tecum artibus: ergo  
 Dum tibi sunt vires; dum tot comitantur euntem  
 Agmina, dum tota Europe conspirat in hostem,  
 Arripe tela manu, ferratus pendeat ensis  
 Ex humero, niteat radianti casside vertex,  
 Aggredere obscœnam stirpem, veterumque malorum  
 Te duce persolvat pœnas, quæ sanguine nostro  
 Sæpe Dei delubra & sacras imbuit ædes.  
 Lusimus hæc magno carmen dictante dolore,  
 Dum libet Aoniis torpentia pectora Regum  
 250 In Turcas excire modis, fideique tonantis  
 Legibus oppressum Scythicis conjungere mundum.

F I N I S.



Pom

Vb 230

**ULB Halle** 3  
003 649 385  


5b<sub>1</sub>

W 17





Inches

Centimetres

# KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

# Kodak

LICENSED PRODUCT

3/Color Black

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

